

Acta Cisterciensia

publ. da F. COGNASSO.

(Fine).

VI.

Stefano di Lexinton scrive allo stesso principe riguardo alla ribellione di Nenay.

car. 4 b.

Item eidem. Accedentes ad nos de Magio et de Wetheny abbates et frater Vincentius monachus Cistercii, humiliter et deuote et cum omni precum instantia ex parte uestra et nobilis Regine uxoris uestre supplicarunt, quatinus monachos et conuersos de Magio miro et inaudito modo contra Deum et ordinem et sanctam ecclesiam rebellantes et castellum de ecclesia fatientes, omnibus repugnantibus decretis et canonibus et totius ecclesie et ordinis nostri institutis, in eadem abbazia libere et absque censura religionis, susciperemus. Cum igitur tale et tam enorme factum aures omnium pulsauerit inhabitancium Hibernie, et demum Regis Anglie animum, ut credimus, iam commouerit, nec non per Regnum Anglie et Francie id ipsum iam fuerit diuulgatum, uestre significamus nobilitati nos nullatenus uestris uel predictorum ex parte uestra ad nos uenientium nec debere nec uelle annuere petitionibus, quia cum honor regis iudicium a) diligit, si pro petitione uestra contra iudicium equitatis procederemus, regie excellentie uestre et quod maius est diuine maiestati iniuriam et dedecus non modicum inferremus et totius ordinis et capituli ge[neralis], cuius uices gerimus in hac parte, offensam grauem incurreremus. Rogamus igitur deuote et salubriter confidimus, quod si honorem et reformationem monachorum Hibernie desideratis, nullo modo permittatis quod aliqua uexatio nec domui de Magio nec alicui persone ordinis uel abbacie de Karkelais nec aliquod dampnum in a l i a m b) inferatur, scientes

a) Seguono tre parole illegibili.

b) Lo spaziato è in soprалinea.

pro certo quòd nullo modo monachis Hibernie magis noceri poterit, quam si dicte domus aut persone in aliquo ledantur. Rogamus uos, domine uenerande, ne uos fallant monachi de Magio et conuersi eiecti, quos auctoritate Dei et totius ordinis et ca[pituli] ge[n]eralis] tamquam scismaticos et apostatas merito excommunicauimus, qui dicunt, ut audiuimus, quod nemo potest eos excommunicare; finis autem rei probabit in contrarium. Pro honore si quidem uestro et uestrorum et salute anime patienter expectetis aduentum aliorum visitorum. Nos autem pro gratia et reuerentia uestra benigne sustinebimus quòd misericordius cum ipsis agere possint, si tamen uiderint ipsos delictum suum uere recognoscentes et humiliter confitentes cum uera penitencia sine superbia uel comminatione. In ueritate si quidem Jesu Christi uobis significamus quod hoc est securius et sanius consilium tam honori uestro quam eorum utilitati, quia nec pro metu mortis proprie aut aliorum aut abbatiarum combustione sententiam in facto tam enormi ita cito possemus immutare. Et sine dubio sciatis nisi in pace habitauerint abbas de Magio et sui, abbatiam cum omnibus possessionibus suis et pertinenciis, cum domino Rege aut alio regnante, sequenti estate, commutari faciemus. Valete. Item.

VII.

Stefano di Lexinton scrive all'abate di Furness sulle misure da prendersi per ricondurre alla disciplina i monaci irlandesi.

car. 7^b.

Furnesio

Abbati de Furnesio salutem. Si labores et dolores nec non et pericula que cotidie sine intermissione, pro uobis et aliis qui in Hibernia sortiti sunt filias, [sustinemus] debita sollicitudine pensaretis, indubitanter credimus quod nobis toto affectu compateremini, et circa commissam uobis domum cautelam adhiberetis maiorem et diligentiam; ut enim uobis paremus et pacem queramus per singulos dies in manibus querentium animam nostram, nos pro gloria uestra tradimus, iugiter laborantes et semen Domini seminantes, set uos in labores nostros introitis, et que seminamus, uos gratis metitis et accipitis. Sperabamus autem quod sicut a ca[pitulo] ge[n]erali] uobis est iniunctum, et nobis per litteras uestras promisistis, in bona quantitate pecunie et numero personarum in subsidium filie uestre uos respiceretis, et eandem circa deuotionem uestram satis adhuc rudem ad maiorem reuerentiam uestri et dilectionem prouocare studeretis post operis exhibitionem. Quia igitur in omnibus que presens negotium tangunt, uobis quantumcumque secundum Dominum potuimus hucusque distulimus, et adhuc deferre parati sumus, paternitatem uestram, omni qua possumus instantia, rogandam, monendam duximus et consulendam quatinus cause uobis a ca[pitulo] ge[n]erali] iniuncte et sponsionis uestre nobis facte nequaquam immemores, Dei causa et ordinis intuitu, secundum quod iniunctum est uo-

bis, etiam per litteras auctenticas confirmatum, dicte filie uestre tam in temporalibus quam spiritualibus efficaciter prouidere uelitis. Nam cum in hac parte ceteros uos preuenire putaremus, preuenit uos omnes dompnus abbas de Margan, cuius emulatio prouocare debet multos; qui licet cum domo sua in partibus suis grauiter ab hostibus uexaretur, non solum omnia sua pro presenti negotio exposuit, set se ipsum periculo dedit, ueniensque nobiscum in Hiberniam adoptionis filiam per nostrum consilium ordinauit et in personis rebusque aliis plenius ei prouidit. Cum igitur in nullo loco eo teneatis inferiorem, rogamus in domino Jesu humiliter ac deuote, consulentes et monentes, et, si necesse fuerit, auctoritate ca[pituli] ge[neralis] iniungentes, ut ipsius emulatione saltem prouocati, que hactenus circa promotionem filie uestre minus fecistis, in posterum adeo habundanter supplere studeatis, ut Deus uobis ad retributionem condignam et ca[pitulum] ge[nerale] ad uberiores teneatur gratiarum actiones et nos iustam de uobis non habeamus conquerendi materiam. Nec mirari debetis, quod sicut quidam nos facturos credebant, ad exterminationem gentis non intendimus quia omnino non expediret uobis aut ordini. Nam oportet eos paulatim et per partes delere, ne forte multiplicentur contra nos bestie agri, hoc est bestiales homines, qui in campestris et montanis super harenam multiplicati, omnia indifferenter in ultionem gentis sue exterminarent et delerent. Que autem breuitate litterarum comprehendere non potuimus in ore latoris presentium, fratris A. monachi de Fontanis, posuimus, uobis uiua uoce intimanda, cui tanquam nobis fidem per omnia adhibeatis indubitata. Valete.

Mementote quia iam supra facto isto quarta uice scripsimus uobis. Vnde precamur quatinus si predictam filiam uestram uobis uultis retinere, mittatis nobis sub festinatione aliquem de monachis uestris uirum humilem, pacificum, benignum, sapientem et discretum, quem in dicta domo crea[re] possimus abbatem, qui sciat se conformare moribus tam ferine nationis, et dompnum Richardum de Burgo Justiciarium Hibernie gratiam querere et fauorem. Nichil enim de predicta domo ordinabimus, donec uestrum responsum receperimus. Non ergo, si placet, differatis uestrum nobis mittere responsum, ut scire possimus quid super hoc instanti ca[pitulo] ge[nerali] scribere debeamus. Preterea sciatis quod ad domum de Sancta Cruce cum pluribus abbatibus et uiris auctenticis et discretis accessimus et facta diligenti inquisitione inuenimus eandem domum habere xxx^{ta} carucas terre, et ad estimationem quorundam xl, et eo amplius, unde per consilium eorum, auctoritate capituli generalis, iudicauimus eam stare in abbatiā et ibidem ordinauimus abbatem.

VIII.

Stefano di Lexinton espone all'abbate di Citeaux le condizioni in cui si

trovava l'Ordine Cisterciense in Irlanda alla sua venuta e presenta un piano di riorganizzazione (1228).

car. 9^a

Cistercio

Abbati Cistercii et Conuentui abbatum Ca[pituli] Ge[n]eralis] salutem. Paternitatem uestram litteris nostris diutius detinere non congruit, quam aliis ineuitabilibus et arduis ordinis causis multipliciter occupatam nouimus et oneratam. Ideoque quoddam negotium Hibernie auctoritate uestra nobis commissum necessario contingentia, ea qua possumus breuitate, sanctitatis uestre auribus intimare decreuimus, cetera virorum venerabilium presentium portitorum fidei committentes, per quos super facto Hibernie insimul et periculo plenius poteritis edoceri. Ad partes siquidem predictas consultum minime duximus aliquatenus transmeare, nisi prius communi tam abbatum Anglie quam Wallie communicato consilio de forma a) procedendi, impetratis etiam tam a domino Rege, quam Episcopis, quam magnatibus regni patrocinio et tuitione, per quos credebatur in hoc negotio uiam preparari posse uel aditum aperiri. Hiis igitur rite peractis, in Hibernia constituti, auditis enormibus excessibus et horrendis conspirationibus insimul et infamiis, quas ueteribus criminibus hoc anno persone ordinis nostri superaddere minime uerebantur, cuiuslibet abbacie conuentibus quam intrauimus in primis amonitione deuota in capitulo premissa persuadere curabamus, ut beneficium absolutionis humiliter postularent. Quod ita factum est; ut ergo crimina similia in posterum abhorrent ipsique iniquitatum suarum culpa claresceret, quarum enormitas circumquaque tam clerum quam populum scandalizat, dictam absolutionis gratiam non nisi cum summa sollempnitate censuimus impendendam. Omnibus igitur in Capitulo assurgentibus et librum Regule loco positum eminente respicientibus, in audientia firmiter promiserunt quod nunquam de cetero talia perpetrabunt, nec perpetrantibus consensum tribuent uel fauorem, sicque coram corpore Christi in ecclesia absoluti sunt. Et statim in capitulum redeuntes, tunc primo cum ipsis tractare cepimus de hiis que ad nostrum spectabant officium. Excessum siquidem ipsorum numerositatem et abhominabilem enormitatem silere et a tam sanctarum aurium audientia aperire nos cogit pudoris uenustas et tedium prolixitatis. Set ut summatim concludamus que hucusque nobis innotuerint per visitatores aut alios, lingua uel litteris, minora sunt quam que certis probauimus indiciis et in parte uidimus fide oclarata. Nam sigillum cuiusdam abbatis penes nos habemus quod loco pignoris positum fuit ad tabernam ceruisie pro xviii denariis, aliudque alterius abbatis uidimus simili modo in manibus cuiusdam secularis; vnde abbacie sic sunt penitus adnichilate, quod que a fundatione habuerant xx carucatas, iam, in ueritate dicimus, non habent

a) *Lo spaziato è in soprallinea.*

tres; que quarteratas xx^{ti}. non habent xv, et ita de aliis. Vnde, necessitate cogente, uniuersi fere proprietarii a claustro pro libito sub pre-textu mendicitatis facti sunt euagantes; nullum ibi silentium, nulla in Capitulo disciplina, pauci sunt habitantes in comuni, set per ternarium aut quarternarium in paruis casellis extra claustrum cateruatim constituti, symbolum fatientes ad uillas mercatorias mittunt et sic emunt pro facultate proprietatis sue sibi necessaria. De carnis contagio, consorcio predonum et homicidiis, aliisque similibus, uerecunde dicimus; per alios tamen uisitatores satis innotuit. Interius omnia spiritualia dissoluta, exterius temporalia fere universa dilapidata, ita quod pro maiori parte in ueritate dicere possimus: ibi de ordine nichil est nisi habitus vestium tantum. Vestrum est igitur, patres uenerandi, tanto animarum discrimini et ordinis nostri confusione condignis obuiare remediis, indubitanterque sciatis quia nisi cepta circa religionis nostre reformationem uirilius et instantius, non parcentes sumptibus aut etiam periculis carnalibus, prosequamini, ordo qui diutissime languit, nec aliud nisi mortis perpetue signa protendit, nunquam aditiet ut resurgat, immo, quod absit, morbus iste, si impune preterieris, quocumque modo inualuerit, ut cancer serpet, et a) prout certum tenemus, infitiet ceteras nationes: eciam in maioribus regionibus dicti ordinis reuerencia paulatim defluet, quicquid in minimis debitam correctionem perseueranter apponere curauit; vivit namque in pluribus peccandi uoluntas, et sequetur opus si speretur impunitas. Patres dilectissimi, attendite quia parum proficit horaria uel momentanea medicina, assiduitate uero et diligentia conualescit. Ceterum mortis pericula tam in nemore iuxta Aruicampum per predones, quam in abbacia de Magio, aliisque locis pluribus quo modo euaserimus, sub silentio preterimus, immo iam singulis diebus exponimur manibus querentium animas nostras et sociorum nostrorum una nobiscum causas ordinis prosequentium, ita ut iam digne estimemur quasi oues occisionis, set ad hec omnia leto et gaudenti animo parati sumus pro Christo et paternis legibus deuote perferenda, si manum uestram efficacem senserimus nobiscum et fructum aliquem de periculo senserimus provenire, aut de seminibus que in crebra lacrimarum effusione teste Deo laboriose misimus, in hoc seculo cum esultatione manipulos reportemus ut sacrosanctum ordinem nostrum, diebus nostris, in aliquo uideamus refluere. Viam siquidem reparationis ipsius insimul et conseruationis, communicato undique consilio virorum bonorum et Deum timentium tam religiosorum quam secularium superioris gradus et inferioris, unam et unicam tantummodo reperire ualuimus, quam sub sigillo nostro et abbatum Hibernie sancte paternitati uestre destinare curauimus, iuxta cuius tenorem procedere, et auctoritate uestra uelitis confirmare, diffinitionibusque anni presentis inserere, ne hostium quod benedictus Deus iam monitis et instructio-

a) *Segue cancellato ut.*

nibus nostris ad ordinis disciplinam suscipiendam se ultro aperuit tam nobis quam uisitatoribus post nos aduenturis perpetuo recludatur, et nos, qui in potestate uestra ad partes illas a) destinati sumus, in dedecus et nostre scandalum religionis pro negligentia aliqua in hac parte mortis discrimini uel perpetue exponamur confusione. Valete. Cetera, si placet, a presentium latoribus inquirere non omittatis, libitum uestrum per eosdem nobis miseris, in tribulatione die ac nocte continue constitutis, rescribentes. Abbates uero de nouo creatos viros uidelicet litteratos et religiosos habere uelitis excusatos b) super hoc quod anno presenti ad ca[pitulum] ge[nerale] non accedunt. Nam omnem actionem contra ipsos in hac parte excludit tam ipsius negocij urgens instantia quam substantie temporalis summa indigentia.

IX.

Il Consiglio degli Abbati, radunato da Stefano di Lexinton a Dublino, provvede a riorganizzare le abbazie cisterciensi d'Irlanda.

car. 10^a.

Consilium Abbatum

Cum vir venerabilis abbas de Stanlegio in potestate ca[pituli] ge[nerale] ad parte[s] Hibernie accessisset, nos uniuersos conuenire curauit et auctoritate ipsius capituli et ordinis firmius adiurare, ut studiose deliberarem quomodo ordo ibidem resurgere et in statu debito stare posset. Pensatis igitur undique circumstanciis tam abbatiarum quam personarum in ipsis conmanentium et moribus ferinis ipsius regionis, ponderatis etiam hinc utilitatibus ordinis et honestatibus, illinc dispendiis atque periculis que silenter cogit preterire tam uerecunda uenustas quam tediosa prolixitas, exitum alium nequaquam reperire ualuimus, quo uel horrendis conspiracyonibus uel inueteratis exordinationibus finis imponatur et respiret religio, nisi abbatie quedam domorum minus ordinarum subiectioni subtracte, aliquibus aliarum regionum abbaciis, que ruinas ordinis tam in spiritualibus quam temporalibus et uelint et ualeant maturius reparare, tanquam matribus iure perpetuo supponantur, ita quod vnaqueque mater duas ad minus habeat filias in terra memorata, ut si quando aliqua illarum collum de sub iugo regule et ordinis contumacibus et malitiosis conspiracyonibus attemptet excutere aut detestanda scismata procreare, in reliqua filia saltim refugium reparare possit mater unumque receptaculum, dum alterius insolentie intendit reprimende; sicque commodius et expeditius pro causarum uarietate aut temporis alterius per alteram oppressionem subleuet aut demet elationem. Ceterum quia operas graues et labores sumptuosos maxime autem periculosos ibi quisque inuitus et tardus inpendit, ubi timetur, ne gratis introeat et fructus percipiat

a) Cod.: illa sillas.

b) Lo spaziato è in margine, della stessa mano.

alienus, modis omnibus consulimus universi et singuli, ut auctoritate ca[pituli] ge[n]eralis] et ordinis omnibus tam abbatibus quam monachis et conuersis undecumque fuerint silentium perpetuum imponatur, ne sibi contra subscriptam ordinationem aliquatenus liceat reclamare, uel ipsam quomodolibet audeant perturbare; decernatur insuper irritum et inane quicquid in contrarium aliquo tempore inpetratum uel quomodocumque fuerit attemptatum. Summa igitur totius consilii ad ordinis resuscitationem ipsiusque in statu debito conseruacionem pernecessarii, vna et vnica hec est, videlicet ut abbatia Clareuallis in filias habeat domos de Buellio et Beatitudine et Colle Victorie vna cum Mellifonte; abbatia de Fontanis, domos de Valle Salutis et de Ieriponte et Rasavalle, abbatia de Margan, domos de Magio, de Sancta Cruce, de Choro Sancti Benedicti et de Kynet(?); abbatia de Furnesio domos de Wethenii, de Surio, de Castro Dei, de Petra fertili; abbatia de Bildewass, domum de Benedictione Dei una cum Dublino. Item abbatia paruula de Caritate Dei quia pauperrima et omnino insufficiens tam in rebus mobilibus quam immobilibus, insuper in summa personarum penuria constituta, abbatie de Portu beate Marie cum omnibus grangiis et pertinenciis suis et iure suo perpetuo coniungatur tam a) ratione uicinitatis quam multiplicis utilitatis dicte domus et ordinis, maxime quia in dicta paruula abbatia non sunt nisi octo monachi et ix conuersi, nec habet integre tres carucatas terre, omnibus suis tam mobilibus quam immobilibus fere consumptis omnino aut funditus alienatis. Huiuscemodi uero ordinationis preter alias innumeras causas una hec est precipue annotanda, vt sic scilicet dissoluatur unitas perniciosa, que inauditis conspirationibus et exordinationibus regionis illius multo tempore materiam ministravit. Nam dum squama squame adheret, nunquam spiraculum incedet per eas. Ceterum nunquam domabitur superba rebellio et ferocissima comminatio Mellifontis, dum protegent umbre umbram eius. Item abbatia paruula de Flumine Dei, que non habet nisi quinque carucatas terre, olim filia Mellifontis, detur in filiam abbatie de Beatitudine, que est in loco munitissimo, ad quam visitatores tutum accessum habere et secure possunt habitare, ut sic validior efficiatur ad succurrendum matri sue Clare ualli in edomando et reformando tam Mellifontem quam Buellium. Ipsa etiam non distat a Mellifonte nisi per xv leugas. Firmiter igitur in fide, qua ordini tenemur, testificamus quod non est uia compendiosior neque fructuosior, nec ita facilis ad ordinem resuscitandum, immo licet multum pretenderet resurgendi, statim captata op[p]ortunitate, procul dubio corrüet ad consueta, nisi penitus procedatur secundum formam prescriptam; frustra que de cetero mittentur visitatores uel nos uel alii, nisi ad nostram interfectionem et ordinis perpetuam confusionem, si aliter ordinetur. Iniungatur etiam districtissime patri-

a) Cod.: tum.

bus abbatibus supra nominatis ut una cum visitatore ca[pituli] ge[neralis] statim post dictum ca[pitulum] dictis filiabus suis reformandis uiriliter intendant et efficaciter. Ceterum procul dubio nouerint uniuersi quod nisi memoratum ca[pitulum], quod incepit in hac parte, constan-
tissime prosequatur, morbus iste ut cancer serpet et inficiet exemplo pestifero ceteras nationes, paulatimque, quod auertat Altissimus, defluet capituli ge[neralis] censura et totius ordinis peribit reuerentia. In cuius rei testimonio.

X.

Stefano di Lexinton scrive al Capitolo Generale dell'Ordine sulle misure prese nel Consiglio degli abbatì a Dublino.

car 11^a.

Capitolo Generali

Nos igitur, patres uenerandi, diligentius attendentes, quia ibi salus ubi multa consilia, circa dictum negotium nichil, sine consilio auctentico et maturitate profunda circumspecto, duximus actitandum. Et licet in recessu nostro a partibus Hibernie de prudentium consilio statuenda statuere et inmutatione digna nobis satis tutius esset inmutare, perpendentes tamen hoc ipsum post nos moraturis usque ad interminationem fore periculosum, preelegimus nos in mare mittere quam tanta et tam sancta gens pereat. Quapropter conuocatione facta abbatum nec non et priorum domorum, uidelicet illarum, quibus abbates creati non fuerant, apud abbatiam iuxta Dubliniam, de omnium unanimi consilio et consensu uniuersa ordinauimus, publicauimus, executioni sollempniter demandauimus in crastino beati Johannis Baptiste iuxta consilium contentum in cedula, cui omnia signa eorum appenduntur. Ceterum vniciuique abbacie proprium et auctenticum confecimus instrumentum tam sigilli nostri quam omnium abbatum appositione munitum de perpetua collatione et confirmatione, insuper per abbates proprios uel personas interpositas in sui iuris ueram et plenariam induximus possessionem. Nam per ipsos, tanquam patres, abbates creati, visitationes fieri permisimus, nostro tamen prius comunicato consilio; que idcirco ad cautelam et securitatem omnimodam quam potuimus, sollempniter acta sunt, ut sic magis animarentur matres ad reformationem filiarum. Quarum una et sola religionis lex erat, licet in habitu Cistercii, uidelicet hoc: quicquid libet, licet. Cum enim mirum sit, ut ait philosophus, illud solum cuius inuentio rara, de monachorum et conuersorum fornicatione nemo miratur. Talium igitur criminorum consortio qui se miscerent aut pro domibus reformandis se aut suos tam periculose exponerent, nisi de filiabus adoptiuis omni de medio sublato timore securissimi redderentur, ut sic agrorum, quos procul dubio per plures annos seminabunt in lacrimis, saltem aliquo tempore manipulos reportent cum exultatione, crudele si quidem admodum esset dampnabilisque seditio, si matres

laborarent, et se tam in sumptibus quam personis pro filiabus reformandis euiscerarent demumque post ix annorum circulum uel deinceps in labores et sudores carnis sanguineos gratis introirent alieni. Ea propter, licet auctoritate uestra, patres reuerendi, nostroque humili ministerio, sollempnitate et modis quibus prouidere potuimus, perpetuate fuerint prefate collationes, ad uestram tamen spectat uenerandam constantiam pro facto uestro stare et anni presenti diffinitionibus firmiter approbare, ut non uituperetur ministerium nostrum, aut pereat auctoritatis uestre ueneranda reuerentia et ueniat in despectum, pro quo cum omni discretionis et circumspectionis cautela frequenter et feruenter certauimus, teste Deo, pene usque ad anime exalationem. Ceterum in libertate spiritus loqui liceat ad dominos et patres nostros canem unum uel pulicem unum, sanctitatem tam preclaram tanteque maturitatis constantia adornatam nullatenus decet argui leuitatis que, sicut nichil inconsulte adoriri, sic et laudabiliter cepta, corde constanti et indefesso prosequi conuenit usque ad condignam consummationem. Hec idcirco paternitati uestre scripserimus puram et simplicem loquentes ueritatem, certius experti illud poeticum: „segnius irritant animum demissa per auras et cetera“. Ideoque nobis gratum esset admodum et acceptum et dulce super mel et fauum, si sancte congregationi uestre personaliter liceret interesse, et magis uiua uoce quam mortuis apicibus in tante presentia pulsare audientie. Set inuitos et renitentes tenuerunt et coegerunt nos abbates nostri de nouo creati, tales sibi timentes insidias preparari post recessum nostrum, quales facte fuerint nouo abbati de Ualle Salutis post discessum a) dompni abbatis de Frigido Monte anno elapso: nobis, igitur, tam cito abeuntibus, ut asserunt, statim cederent, et a tergo sequentes incontinenti recederent. In hoc autem precipue gloriari et congaudere in Domino uestram condecet deuotam reuerentiam, quod omnibus prefatis rite publicatis, nullus restitit litteratus aut laicus, secularis siue religiosus; set omnes unanimes tam Hibernenses quam alie nationes uno ore glorificant et laudant Deum, dicentes quia a solo Domino factum est istud, qui deponit potentes de sede et exaltat humiles, superbis resistens et mitibus dans gratiam, ut discant maliuoli non blasphemare de cetero, nec aduersus legem Dei et religionis instituta ambulare erecto collo, set magis custodiant innocentiam et uideant equitatem, quoniam non sunt reliquie nisi soli homini pacem habenti cum domino Deo suo. Nichil igitur restat nisi cepta uiriliter et constanter prosequi et visitatores discretos et circumspectos anno sequenti mittere, quibus pro auctoritate, gratia et fauore, quem habent apud Deum et potestatem tam regiam quam ecclesiasticam, merito deferatur et honor inpendatur ab omnibus, qui per

a) cod.: recessu, ma re è cancellato ed in soprallinea fu scritto dis.

a) presenti è corretto su presentibus.

uiam regiam, expedite preparatam, procedant et super positum fundamentum condigne edificent aurum, argentum et lapides pretiosos, nusquam declinantes, ne forte subuertant quod constructum est et fiat nouissimus error peior priore.

XI.

Stefano di Lexinton scrive ad un dinasta Irlandese sulla necessità di restaurare l'ordine in Mellifont.

car. 20^a

Regi Kenelegio salutem. Ad instantiam uestram, presentium latores absoluimus a uinculo excommunicationis quo erant innodati et ordini reconciliauimus, ita quod ingressum habebunt abbatie Mellifontis, si tamen reportauerint crucem, calices et cartas quas asportauerunt cum quibusdam libris. Insuper prout supplicastis, benigne et dispensative prouidimus omnibus egressis et expulsis de Mellifonte cum omni honestate, qua possumus et audemus secundum formam ordinis nostri, ut nunquam de cetero sint fugitiui, quicquid excellentie uestre intiment, nisi consilium nostrum spreuerint et ordini de cetero obedire renuerint. Quosdam enim in domum Mellifontis de magna misericordia contra ordinis nostri statuta introduximus; quosdam uero ad domos alias mittimus ordinatas et habundantes, ad tempus ibidem moraturos ubi anime saluentur. Quapropter reuerentiam uestram benigne exoramus, omni qua possumus deuotione, quatinus, pro honore uestro perpetuo et salute anime, dictam domum Mellifontis cum abbate et personis ibidem constitutis, protegatis et defendatis, sicut decet talem ac tantum principem, nullatenus sustinentes quod aliquis de potestate uestra et dominatione dicte domui aut personis suis noceat aut molestius existat. Pro certo nouerit uestra celsitudo quod potestatem habemus et mandatum tam a ca[pitulo] ge[nerali] quam a domino Clare uallis, ut si domus Millefontis pacem habere nequierit uel ordini de cetero prout consueuit in aliquo rebellis fuerit, cum domino Rege aut Marescallo dicte abbatie Mellifontis cum omnibus terris et pertinenciis suis commutationem faciamus, terram accipientes in tuto loco, in Anglia uidelicet uel Lagenia, ubi abbatia competens possit construi et conventus de nouo de Clara valle destinari; quod Deus auertat, nec unquam ad huiusmodi manum extendemus, nisi predonum inopportunitas aut monachorum de nouo conspiratio summaque et ineuitabilis compellat necessitas. Presentium igitur latores dictos monachos, si placet, gratiose recipiatis et cum bonis Mellifontis que asportauerant ad dictam domum remittere uelitis tempestiue, ne sibi concessa pro petitione et reuerencia uestra priuentur indulgentia, ut pro deuotione uestra gratiam Domini et ordinem nobis et regno uestro merito accrescat gloria, laus et honor coram Deo et hominibus. Valet.

XII.

Stefano di Lexinton affida all'abbate di St. Mary of Dublin ed all'abbate di Graignemanagh la visita dei monasteri cisterciensi d'Irlanda.

car 30^b

Abbati de Dublinia.

Abbati de Sancta Maria iuxta Dubliniam salutem. Visitationem Hibernie auctoritate ca[pituli] ge[n]eralis nobis iniunctam committere cogimur, quum, uariis causis et arduis perpediti dictoque capitulo generali interesse cupientes, partes uestras hoc anno personaliter adire non permittimur. Preelegimus igitur, omnibus circumstanciis circumquaque perspectis, uobis et abbati de Sancto Salvatore dictam facere commissionem, eo quod religionis zelo uos peditos et discretionis moderamine temperatos, insuper dicti negotii quantitatem et exigentiam ipso usu et experientia regionis fuisse reputamus edoctos. Ceterum nulla ratione ca[pitulum] ge[n]erale uices suas alicui committi sustinebit abbati abbacie Hibernie presidenti, quousque ordo ibidem plenius reformetur et certius constet quod in posterum cesset temeritatis pristinae consueta rebellio; insuper dictis abbatibus corrigendi libertas et corripiendi uia precluderetur per monachorum Hibernensium, quibus presunt, importunitatem et adhuc minus domitam ceruicose feritatis presumptuosam audaciam. Adhuc etiam nullas hoc anno domorum fieri oportebit inmutationes maxime in maioribus, utpote unionibus aut collationibus ipsarum, exceptis solis visitationibus, correctionibus, protectionibus, consolationibus in Spiritu Sancto et cohercionibus faciendis, si necesse fuerit, etiam per brachium seculare, cum incarceratione personarum ferocium indomabilium atque rebellium. Que universa pro loco et tempore et causarum exigentia Domini zelo stimulante fieri oportebit. Articulos siquidem certos plures, ministerio nostro et ca[pituli] ge[n]eralis auctoritate, pro ordinis reformatione per Hiberniam constitutos, cedule cuidam sigillo nostro signate inserere decreuimus ad cautelam et scutum, nec non et pacis uestre, quam in Christo sincere desideramus, conseruationem. Ceterum visitationes uobis periculosiores et remotiores abbatibus uicinioribus committere poteritis, ipsis tamen prius ad uos uocatis et cum omni diligentia plenius edoctis, quid aut quo modo et quam discrete agere teneantur. Reformationi uero filiarum Clareuallis et edomande superbie Mellifontis nec non et Vallis Salutis, quia in meditullio et transitu continuo personarum ordinis constituta est, nec non et abbacie de Magio maxime intendatis paci et tranquillitati abbatis de Mellifonte et Beatitudine pro posse per omnia precipue prouidentes, insuper et omnium aliorum abbatum, qui se sine scandalo inhonestatis habuerint et domibus suis uiriliter edomandis et reformandis uigilanter intenderint. Nullum pro emissorum aut expulsorum de Valle Salutis ratione aliqua

ad dictam domum reuocare attemp[te]tis aut ab aliis reuocari sustineatis, nitentes modis omnibus, propter ordinis utilitatem et continuum transitum per ipsam, ut tam per iurisdictionis uestre censuram quam per auxilium si opus fuerit brachii secularis in omnibus suppeditetur tam intra quam foris. Quia uero accepimus quosdam de Alba Domo magis zelari ut abbas de Tractan, vir strenuus et religiosus, cuius pacem in nullo perturbari congruit nec non et eiusdem loci conventus lingua Walensi loquantur quam ut Dei et ordinis faciant uoluntatem, discretioni uestre districte precipiendo mandamus, quantum que in ipsa statuimus et precipimus ordinis auctoritate, per omnia c u s t o d i r i a) faciatis illesa, interdicens uisitoribus de Alba Domo illuc aduenturis, ne aliqua ratione dictum abbatem et conuentum aut formam ordinis inibi inchoatam, auctoritate ca[pituli] ge[neralis] impositam, audeant perturbare. Quod si fecerint, per ipsos minus caute attemptata auctoritate sepe memorata in irritum reuocetis, si opus fuerit, in hac parte delinquentes, prouida deliberatione perhabita, interdicti seu excommunicationis uel alterius pene regularis sententia grauius puniuntur. Litteras uero quasdam dompno abbati de Valle Sancti Saluatoris directas de conpescenda nec non et grauius punienda seditione cuiusdam non re set nomine, quidem dolentes dicimus, monachi Cistercii, quia, si uera sunt que dicuntur, discordias seminare et sopita scismata nititur suscitare, cum omni diligentia inspitiatis et iuxta formam ordinis nostreque professionis exigentiam monitionibus congruis aliisque tante temeritatis remediis competenter premissis, ad penas ordinarias acerbius infligendas, gradatim et feruenter auctoritate uobis tradita procedere studeatis cum discretione. Domos si quidem de Buellio et Colle Victorie in Conatia filias Clare vallis, si abbatem habere non poteritis qui ipsas uisitet, per priores uel alios, ad minus duos, illius lingue discretos et ordini ueraciter obediens, poteritis uisitare una cum abbate de Flumine Dei, uel sine eo, si opus fuerit et expedierit, qui in dictis domibus corrigenda et ordinanda cum omni diligentia nec non et statum ipsarum nobis insinuare procurent. Vos uero, uocatis dictarum domorum abbatibus, cum ipsis de memorata correctione tractetis, omnino cartam confitentes, etiam eidem articulos correctionis gratia prout expedierit inferentes in forma qua in uisitationibus fieri consueuit; quas eisdem abbatibus cum omni reuerentia et deuotione seruandas, ordinis auctoritate tradatis. Abbates uero de nouo creati hoc anno pro ipsa nouitate et ordinis reformandi necessitate a ca[pitulo] ge[nerali] remaneant, quod et ipsis vniversis ex parte nostra ordinis auctoritate firmiter iniungatis. Abbas autem de Ynes, qui anno preterito remansit a

a) Lo spaziato è in soprilinea, mentre nel testo vi era obserctari che fu cancellato; nel margine destro è ripetuto: custodiri.

capitulo, modis omnibus ueniat, nec non et abbas filie domus de Holcontram, si annus ipsius fuerit, uel loco ipsorum substituendi si ipsi uenire noluerint. Item de magne pietatis gratia dispensatiue concedimus, ut cum consilio abbatis de Magio possitis cum conspiratoribus eiusdem domus aliquantulum misericordius agere; ita tamen quod omnes cartas dicte domus mali(o)tiose ablatas incontinenti restituant antequam ingressum habeant abbatie: et tunc, de maturo consilio et circumspecto, ipsis penitentias graues temporis tractu et condigne contritionis merito temperandas imponatis, per quas ad ordinis obedientiam et animarum salutem affectandam et in perpetuum affectuosius amplexandam, a modo prouocentur. Item abbaciis Conatie, de Petra Fertili, de Viridi Ligno, de Flumine Dei, si uacuerint et commodius fieri nequeat, prouidere poteritis pastores de personis Hibernicis, ita tamen quod de ipsorum humilitate et obedientia erga Deum et ordinem certam in Domino fiduciam reportetis. De aliis uero abbaciis nulla ratione presumere attemptetis. Abbaciam uero Aruicampi uacantem uestre relinquimus ordinationi, de cuius statu, prehabito cum abbatibus aliisque uiris prudentibus tractatu et deliberatione diligentissima, statuatis quod ordini et generationi sue honestius, utilius fuerit atque consultius. Ceterum statim acceptis litteris presentibus, conuenire curetis uos et abbas de Valle Sancti Saluatoris de negotio uobis inposito insimul tractaturi instanter uniuersos a) ammonentes abbates de dilectione, maxime autem de castitatis honestate, de sobrietate potus, de unanimitate ad inuicem et ut alter a) alterius onera portare et frater fratrem studeat adiuuare. Si uero per abbates aliquos de incontinentia maxime aut ebriositate, quod absit, scandalum intolerabile grauius oriatur, acrius arguantur et si necesse fuerit deponantur. Alia si quidem minora propter nouitatem patientius tolerare oportet et processu temporis paulatim abradere, ut sic primo qualitercumque persone inutiles moresque in omnino positi mutantur in melius. Abbatibus insuper de nouo creatis districte interdictis ne transfretent sine causa rationabili, insuper et licencia uestra curiose uagando circumquaque discurrendo, set domibus suis releuandis et reformandis cum gratia Dei, laboris sui et premii prerogatiuam semper pre oculis statuantes, uigilanter intendant. Valete.

Similes litteras transmisit abbati de Sancto Salvatore.

XIII.

Gregorio IX scrive ai Principi d'Irlanda per invitarli ad aiutare l'opera di restaurazione dell'Ordine Cisterciense. (8 Dicembre 1231).

car. 67^b.

Gregorius et cetera, dilectis filiis nobilibus uiris Justiciariis et Baronibus in Hybernia constitutis, salutem et cetera. Graui sumus dolore

a) *Lo spaziato è in soprallinea.*

percussi et horrore percussi quod, sicut ad nos horrendus clamor ascendit diro doloris aculeo nos a) transfigens, illo instigante qui eo forcius personas religiosas inpugnat quo se uidit ab ipsis uehemencius inpugnari, abbates et monachi Hybarnienses qui solo nomine religiosi uocati religionem in se penitus absumpserunt, non contem(p)ti quod olim abiecta monachali modestia ut uitam ducerent dissolutam et computrescerent in suo stercore ut iumenta, contra patrem suum, uidelicet Cisterciensem et generale capitulum, nequiter conspirantes, uisitatores ab eis pro reformatione ordinis in Hybernia[m] sepe transmissos, et quosdam alios abbates, monachos et conuersos propter hoc ab eisdem uisitoribus deputatos afflictos suppliciis et iniuriis lacessitos turpiter eiecerunt, nuper contra Deum dampnabili ausu insurgere non uerentes, abbate de Castro Dei et monacho de Surio crudeliter trucidatis, abbatem de Rosa ualle et quendam conuersum abbacie de Geriponte priuari utroque lumine ausu nefario procurarunt, prout idem abbas cecus nobis exposuit uiua uoce et in litteris predictorum abbatis et capituli perspeximus contineri. Tales enim ineuntes pactum cum morte et cum inferis sponsiones fastidiunt que sunt uite et ideo cum impiis abhominantes eos qui recta uia incedunt sapientium refugiunt disciplinam claudentes sibi et aliis regnum Dei. Ne igitur inmanitas tam detestandi facinoris remaneat impunita et peruersores huiusmodi in sua preualeant uanitate, Nobilitatem uestram rogamus, monemus et hortamur attentius, per apostolica uobis scripta mandantes, quatinus fratres quos pro reformatione ordinis ad partes illas destinari contigerit, habentes pro diuina et apostolice sedis ac uestra reuerentia commendatos et contra illorum insolentiam defendentes eosdem, cum ab eis super hoc fueritis requisiti, ad illorum furiosam superbiam et superbam furiam edomandam, prestetis eis consilium, auxilium et fauorem, ita quod illorum rebellio taliter castigetur, ut sit aliis ad terrorem et nos s(c)inceritatis uestre zelum possimus in Domino merito commendare. Datum Reate vi Idus decembris, pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scribitur comiti Pambrochie.

In eundem modum scribitur illustri regi Anglie.

In eundem modum Archiepiscopis, episcopis, uniuersis ecclesiarum prelati, usque ad illum locum: preualeant uanitate, Uniuersalitati uestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus fratres quos ad partes Hybernie pro reformatione ordinis destinare contigerit, habentes pro diuina et apostolice sedis ac nostra reuerentia propensius commendatos, et ipsos contra illorum insolentiam defendentes dictos sacrilegos tamdiu excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab omnibus artibus euitari, donec de tantis excessibus dignam

a) *Lo spaziato è in soprallinea.*

Deo et ecclesie satisfactionem inpendant et cum uestrarum testimonio litterarum nostro se conspectui representent pro meritis recepturi. Datum et cetera.

XIV.

L'abbate di Clairvaux annuncia a quello di Citeaux di non potere inviargli il richiesto denaro.

car. 94^a.

Venerabili patri et in Christo karissimo, [Johanni] abbati Cistercii, frater E[vrardus] dictus abbas Clareuallis salutem et cum deuota reuerencia debitam in omnibus obedientiam. Litteras ex parte vestra nobis directas de vobis transmittendo, si quid de subuentione decreta Cistercio ad manus nostras deuenisset, ea qua decuit suscepimus a) reuerentia, beneplacito vestro secundum Deum et commodo Cistercii promptum gerentes animum prout ordinate expostulat affectionis deuotio filialis. A uestra tamen non credimus elapsam memoria in audientia capituli generalis et coram diffinitoribus hanc materiam crebrius fuisse uentilatam, nec non et responsiones vestras in puplico, et quid super hiis senserit et in que consenserit universitas capituli generalis, videlicet in prorogationem usque ad capitulum sequens sub spe gratie profusionis ob causas innumeras quas pertractatis vestram minime latet prudentiam. Vero, si contra hoc mihi singulari et soli uenire liceat, deceat et expediat, vestre iudicet oculus discretionis, quapropter salubrius nec non et honestius vtilitati Cistercii, nobis aliisque bonis quorum communicauimus consilium, videretur alia uia procedere, ne forte audientes alii hec et similia que vehementer presumunt, plures terga uertentes a subuentione prefata penitus retrahant manum suam. Et satis nostis iurisdictionem nostram in filios et alios generationis nostre certis finibus esse limitatam, quos transgredi non licet. Quapropter vobis tamquam patri in Christo karissimo bona fide consulimus modestius agere in spiritu lenitatis in hac parte. Nam quod differtur non aufertur et timendum ne forte hereditas ad quam festinatur preprosperare, in nouissimo careat benedictione. Ceterum preter summam illam magnam pecunie quam soluimus pro vobis sicut alias vobis litteratorie significauimus, satis modica pecunia reposita est in domo b) Clareuallis, nomine tamen depositi, quod quidem contingere seu infringere absque conscientia depositorum utrum liceat, vestram minime latet prudentiam. Preterea, pater, mirantur aliqui, quod cum tanta precisione non dicimus, in causa pecuniaria tam inperiose uestra scripsit religio minime adiciendo nisi aliquid rationabile seu regulare obsistet uel aliud huiuscemodi temperamentum. Insuper super quodam articulo litteris vestris inserto, venerandam uestram scire volumus paternitatem, quod depositionis timor aut alterius priuationis honoris numquam

a) Cod.: suscepimus

b) Segue abraso cl.

nos, propitiante Deo, ad illicitum aut inhonestum adducet, quia Domino astringi debemus, in karitate firma, duce spiritu libertatis, non opprimente spiritu seruitutis, set in omni tempore de nobis tanquam infirma et humili Dei creatura, sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat per omnia benedictus Deus. Post subscptionem litterarum uestrarum, die martis proxima post festum beati Dionisii apud Parisium, per unum tamen diem, de mandato deliberauimus et in crastino nuntium dirigere curauimus cum festinatione pro nostro renunciando responso. Valeat reuerenda paternitas uestra in domino Iesu Christo.

XV.

Giovanni, abate di Citeaux, scrive all'abate di Clairvaux, ripregandolo di inviargli il denaro presso di lui depositato, avendone urgente bisogno.

car 94^b

Venerabili coabbati suo, E[vrardo] de Claraualle, frater [Johannes] dictus abbas Cistercii, salutem et sinceram in Domino karitatem. Nuper vobis humiliter supplicando dedimus in mandatis ut quicquid penes vos habebatis de subuectione Cistercii, nobis in presentibus nudinis perueniri faceretis pro urgentissima domus nostre necessitate persolui. Quia uero humilitatis uestre obturatis auribus pertransistis, ecce nunc vobis, in quantum se possunt obedientie vires extendere, districte precipiendo mandamus, quatinus ob minuenda Cistercii debita, et cohibendas a) ex parte voragine vsurarum, quicquid ex subuectione uobis dudum Capituli Generalis auctoritate decreta, ex contributione diriuationis Clare vallis ad manus uestras peruenit vel per vos factum fuerit ut minime perueniret, nobis faciatis sub competenti celeritate numerari b), nichilominus adicientes ut si qua fuerit pro deputata vobis portione residua eadem diligenter requirere et efficaciter requisita sub eiusdem obedientie uirtute nobis fideliter exsoluere studeatis, caueatque uobis dilecta prudentia uestra ne quis uos in hac parte seducat fallacibus et inanibus verbis; matri siquidem vestre Cistercio iniquissime ac sceleratissime subtrahitur quicquid a qualibet filiarum suarum ex instanti subsidio nobis inuicentis voluntarie detinetur. Quantumlibet enim in contrarium garrat minus prouida cuiuscumque presumptio, totum ex post facto conuersum est in obligationis necessarie debitum, quod a principio fuerat in promittentis liberalitate gratuitum, et cui primitus liberum erat in sue deliberationis arbitrio non promittere, post publicatam in generali Capitulo sponsonem ipsam, que in litteris diffinitoriis ex more c) deinceps non licebit ex totali sua permissione modicum quippiam retractare. Inter hoc autem, fili karissime, ad conscientie

a) *Segue, ex parte, scritto senza abbreviature, poi cancellato.*

b) *Numerare, ma la e finale fu espunta ed in sopra linea fu messo i.*

c) *La lacuna è nel cod.*

uestre secretum recurrere, et in hac turbatione que, diebus istis, in ordine nostro, sathana suadente, peruenit, erga Cistercium id *a*) calumpniose gesseritis, sollicite *b*) formitate. Iniurias si quidem nostras nobis a nostris maxime domesticis irrogatas, etiam si velimus ipsi dissimulando negligere, arbiter tamen ille districtus desuper cuncta considerans, non credatis ut ipsas in suo iusto iudicio uelit inultas preterire. Simulque sollicita consideratione precauete ne forte, post consilia nostra neglecta, post preces etiam nostras supplicationes repulsas tandemque post iussiones iustissimas spiritu contumaci contemptas, ordinis exigente censura cogimur id efficere vel inuiti quod semel factum deinceps fieri non possit infectum. Quid autem super hiis facturi estis, nobis per latorem presentium sub eiusdem obedientie necessitate celeriter rescribitis.

XVI.

Gli abbatì di Pontigny e di Clairvaux annunciano a tutti gli abbatì dell'Ordine la scomunica in cui è incorso l'abbate di Citeaux (7 Gennaio 1237).

car. 96^a.

Venerabilibus et in Christo dilectis universis abbatibus et conuentibus Cisterciensis ordinis, ad quos littere presentes peruenerint, Pontiniacensis et Clareuallensis abbates salutem et in spiritu gratie et precum Deo continue adherere. Diri uulneris nouitate scandalique iam suborti ab Ordinis institutione primaria hucusque inauditi, stupefacti admodum et cordibus sauciati lamentabiliter exclamare cogimur cum propheta: « Quis dabit nobis fontem lacrimarum? », nec nostrorum taceat pupilla oculorum donec audiatur, et exaudiatur pro statu Ordinis clamor noster in excelso, et repropicietur altissimus qui vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanant *c*) vt sic speciosior et preciosior in tempore tribulationis, sicuti nubes pluie in tempore siccitatis, uertetur in breui, patres *d*) et fratres karissimi, in planctu *e*) cythara nostra, et confusus erit Libanus mons coagulatus, mons pinguis, ordo noster, in quo beneplacitum erat Deo habitare in eo. Flos eius elanguescet, spes emarcescet, odor eius aromaticans et suauissimus iam nunc euanescet et fructus eius desiderabilis dulcior super mel et fauum deperiet, nisi diuina prouidencia periculis imminentibus celeriter occurratur. Proh dolor! Ordo noster qui quondam uiruit in decorem, fronduit in gratiam et honorem coram uniuersis gentibus, vicinis in opprobrium, amicis in luctum, in gaudium inimicis, clero in scandalum, populo in derisum, prelati in ostentum, principibus factus est in

a) Cod.: ad, ma sulla a sta in soprilinea i.

b) Cod.: sollocite, ma o è espunto ed in soprilinea sta i.

c) Sanabunt, ma bu è espunto.

d) Fratres, ma f fu corretto in p.

e) In planctu é, di mano posteriore, in soprilinea.

sibilum et in stuporem. Ruina est hec, quod dolentes dicimus et clamatur sub manu patris Cisterciensis abbatis, dum in tempestate et turbine consistant uie eius et soluto ultra quam deceret monachalis modestie freno, manum mittit ad desiderabilia Domini, naues Tharsis conquassans et conterens in spiritu uehementi cum scriptum meminerimus quod aque Syloe cum a) silentio currunt. Item non in commotione Dominus nec in spiritu grandi et forti, sed in sibilo aure tenuis, ibi Dominus. Ipsum siquidem ab huiusmodi in omni actu legitimo prosequendo uel exsequendo iam dudum cohibere merito deberet atque compescere diuine seueritatis respectus et conscientia timorata, cum tam ex confessione propria in Capitulo Generali facta, quam ipsius euidencia facti, nec non et fama publica licet spetialis denunciator alius minime appareret, tam sibi quam ceteris liquido constare posset, ipsum sicuti qui pro uiolentia uenerabili abbati de Macennatiis irrogata sententiam a canone latam incurrit, ab omnibus iuxta formam ecclesie debere cautius euitari, quousque de ipsius canonica absolutione constaret euidenter, anathematis namque uinculo siue ab ipso iure siue a iudice taliter innodato, usus clauium interdicitur, ut ante absolutionem canonice obtentam nec soluere ualeat nec ligare. Ut igitur paterne honestati compateremur, nec non et reuerencie humiliter deferremus, diucius supersedimus, expectantes expectauimus si quomodo motu proprio sine monitu uel actu alieno sibi salubrius consuleret ac tam graui ordinis scandalo remedium competens adhiberet. Set incassum. Nam prout sibi et ordini expediret minime mitigatus est modus eius, set ut prius manus eius extenta. Quapropter ne mora b) diuturna irreparabile dispendium pariat, ne calamus quassatus penitus conteratur seu lumen Ordinis adhuc fumigans c) funditus extinguatur, uenerabilibus patribus de Firmitate et Morimundo abbatibus agentibus tunc in remotis, qui non personaliter sine discrimine pregrandi et scandalo generali poterant ulterius expectari, necessitate cogente tantis periculis atque scandalis prout possumus ad presens occurrimus dolentes et inuiti. Comunicato igitur abbatum ordinis maiorum nec non et aliorum minorum in multitudine non modica consilio et consensu, ne quid de contingentibus ommitteremus quid inde sentirent tam iuris periti Parisius quam alii quidem prelati in regno Francie tam litteratura quam dignitate maiores exacta diligentia requirere curauimus tantis nominibus personarum, ex quorum responso, non sine deliberacione reddito, euidenter intelleximus dictum patrem Cisterciensem in canonem late sententie incidisse. Quapropter cum per se ipsum non adiciat ut in forma debita ab aliorum communione se subtrahat, set in anime sue graue

a) Cod.: cū.

b) *Segue espunto ir; il copista aveva incominciato a scrivere irreparabile.*

c) Cod.: Seu lumen fumigans adhuc ordinis, *ma vi sono i segni per i richiami.*

detrimentum ceterorumque igitur communicantium legitimis actibus exsequendis se sicut prius inmiscet, necessarie habuimus denunciare et presentibus denunciamus ipsum abbatem Cisterciensem pro suprascripta uolencia ipsum anathematis uinculo existere innodatum nec in actibus legitimis uel aliis, a canone talibus inhibitis, aliquatenus admittendum seu communicandum eidem, donec canonicè a) absolutionis beneficium fuerit rassecutus. Pre aliis uero excitari et rammoueri uestram in Domino desideramus in Domino deuocionem, quatinus se ipsum unusquisque absque dissimulatione diiudicet, dictasque tribulationes et dolores propriis peccatis imputet, ad dignos se accingat et assurgat penitentiae fructus, totum se in supplicationem fundat, ut pius Dominus cui obediunt uenti et mare post tempestatem trans[qu]iillum faciat et post lacrimationem et fletum exultationem infundat ad sui nominis honorem et seruorum suorum in ordine Christi militancium indiruptam et perpetuam pacem. Datum anno Domini m.cc. tricesimo septimo, in crastino Epiphaniae, consen[tien]tibus abbatibus tunc temporis presentibus aliisque absentibus pro maxima parte super his antea requisitis convenientibus in id ipsum; qui scripto presenti una nobiscum sigilla sua apposuerunt.

XVII.

Stefano di Lexinton annuncia a tutti gli abbati dell'Ordine di essere stato eletto arbitro nelle controversie fra l'abate di Citeaux ed i suoi avversari (15 Gennaio 1237).

car 96^b

Omnibus hec visuris frater S[tephanus] dictus abbas Sauigniacensis salutem in Domino. Ad universitatis uestre notitiam uolumus peruenire quod cum scandalum grande in nostro ordine ab ipsius primordiis inauditum fuisset subortum, tandem mediantibus bonis uiris de ordine, venerabilis abbas Cistercii, dominus J[ohannes] ex una parte, et primi abbates scilicet de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et alii plurimi abbates ex altera, abbate de Morimondo in partibus remotioribus agente, in uerbo sacerdotis et sui ordinis firmiter promiserunt stare alte et basse omni ordinationi et uoluntati nostre absque tamen cessione uel depositione Cisterciensis abbatis, de omnibus querelis quas aduersus abbates et conuentus Pontiniacensem et Pruliacensem seu alias quascomque ordinis personas occasione eorum dicit se habere; item de iniuriis et contumeliis sibi uel suis factis et dictis a festo Omnium Sanctorum vsque nunc, occasione iam dicta. Similiter e conuerso de omnibus illis que in iniuriam et preiudicium omnium dictarum personarum ab eodem tempore vsque hodie idem Cisterciensis dicitur attemptasse. Nos itaque pro totius ordinis statu et conseruacione pacis et vnitatis eiusdem, taliter ordinamus. In primis omnes sen-

a) Cod.: canocice, ma la prima c è espunta e sul rigo vi è la n.

tências sive de iure siue de facto quascomque domnus Cisterciensis, uel alius de mandato suo taliter in abbates et conuentus Pontiniacensem et Pruliacensem seu in aliquas dictarum domorum singulares personas penitus laxamus. Cum uero liquidum erit ipsum Cisterciensem esse status legitimi, poterit tam dictas domos quam ceteras suas filias hoc anno in spiritu mansuetudinis visitare, ita tamen quod nullam personam occasione dictarum iniuriarum in aliquo molestare nec etiam circa capitulum generale in aliquem de quattuor primis abbatibus siue Pruliacensem seu conuentum uel principales officiales eorum, quacumque occasione aliquam sententiam ferre seu aliquem de dictis quinque abbatibus deponere poterit seu cogere aliquatenus ad cedendum. De omnibus autem querelis quas in iam[dictum] Cisterciensem aliquis de ordine uel etiam ipse ordo habet uel habere dicitur, quacumque ratione stabit, absque aliqua exceptione, dilatione et contradictione, iudicio capituli generalis. Similiter etiam supradicti Pontiniacensis et Pruliacensis de sibi obiectis parere irrefragabiliter dicti capituli sentencie tenebuntur. Si uero contra quodcomque de prescriptis articulis uenerit idem Cisterciensis, incontinenti tenebitur ad cedendum, quod si non fecerit, quattuor primi abbates uel eorum tres, siue duo, si alii commode tunc non poterunt interesse, memoratum Cisterciensem anathematis uinculo statim poterunt innodare minime adsoluendum donec suam fecerit cessionem. Postremo contra hanc tam utilem ordinationem a quocumque impetrari litteras prohibemus, impetratas autem quocumque casu irritas de consensu etiam partium decreuimus et inanes; adicientes quod per presentes litteras abbatibus Cistercii et conuentui nullum in posterum in aliquo preiudicium generetur, litteris eisdem ultra proximum generale capitulum minime ualituris. In cuius rei robur et testimonium, tam nos quam dicti domini Cisterciensis, Firmitatis, Pontiniacensis et Clareuallensis abbates presens scriptum sigillis nostris fecimus communiri. Actum anno gratie MCCXXXVII, die beati Mauri abbatis, apud Diuionem.
